



PRAEFATIO DE QUATUOR SEQUENTIBUS  
DISCIPLINIS MATHEMATICAE

**M**ATHEMATICA. LATINE DICITUR.  
doctrinalis scientia. quae abstractam considerat quantitatem.  
Abstracta enim quantitas est. quam intellectu a materia

separat. uel ab aliis accidentibus. ut est par. Impar. uel ab aliis huiusmodi in solay rationatione tractamus. cuius species sunt quattuor. id est arithmetica. musica. geometrica & astronomia; arithmetica disciplina quantitatis numerabilis secundum se; musica est disciplina quae de numeris loquitur. qui inueniuntur in sonis. Geometrica est disciplina magnitudinis & formarum; astronomia est disciplina quae cursus caelestium siderum atq; figuras contemplatur atq; omnes habitudines stellarum; quas disciplinas deinceps paulo latius indicamus. ut earum causae competenter possint ostendi. **DE ARITHMETICA**

- I** De uocabulo arithmeticae disciplinae. **II** De uocibus arithmeticae. **III** Quid sit numerus. **iiii** Unde numeri dicti. **v** Quid prestent numeri. **vi** De prima diuisione parium & imparium. **vii** De secunda diuisione totius numeri. **viii** De tertia diuisione totius numeri. **ix** De differentia arithmeticae & geometricae & musicae artis. **x** Quot numeri infiniti existant.

**A**arithmetica est disciplina numerorum. greci enim numerum arithmon dicunt. quam scriptores secularium litterarum inter disciplinas mathematicas. ideo primam esse uoluerunt. quo ipsa ut sit nulla alia indiget disciplina. Musica autem & geometrica & astronomia. quae secuntur. ut sint atq;